

cit., n. 150, cum Raynaldo, et Monacell., ibi allegatis, videtur inclinare in negativam opinionem, in quam dicit videri inclinasse etiam sac. congr. Concil. in Comen. 4 Mart. 1671. At vero Monacell. cit. tom. IV, n. 140, ubi sub dat. 14 Mart. refert per extensum dictum decretum in Comensi de quodam presbytero Josepho Cattaneo Comen. Diocesis, qui ad triremes damnatus et transmissus ob armorum delationem, absque eo quod remigasset, inde egressus supplicavit pro absolutione, etc. Sac. congregat. Concil., audita relatione episcopi, die 14 Mart. 1671, censuit, si Sanctitati Suae placuerit, posse per litteras apostolicas in forma brevis eidem episcopo committi, ut constito de expositis, et praesertim quod non remigaverit, oratorem pro suo arbitrio et conscientia absolvat, et ad executionem suorum ordinum rehabilitet et restituat; lib. xxvii Decr. fol. 54, dicit quod ex hoc decreto videtur quod sac. congreg. judicaverit requiri Papae dispensationem. Et de facto, cum sacerdos Petrus Cardonus Panormitanus ad triremes damnatus et transmissus tanquam unus inditiatus de crimine fabricationis falsae monetæ, et postea absque eo quod remigasset, liberatus cum sola poena exsilii, supplicasset pro absolutione, sac. congreg. Concil. in Panormitana, die 8 Augusti 1705, gratiam denegavit, rescribendo *Lectum*, apud Monacel. cit. tom. IV, n. 140, quam denegatam gratiam refert ipse etiam Ursaya l. c. Unde in similibus casibus semper recurrendum est ad sanctam Apostolicam Sedem.

Quando exsilii poena inducat irregularitatem, et quando non, vide apud Thesaurum de Poenis ecclesiasticis, part. I, c. 33, § *Talis autem*. Illustrissimus ac reverendissimus Maraviglia, in leg. 176 *Prudentia episcopalis*, ad hoc dignoscendum hanc tradit regulam: Quando exsilii poena imposita est propter delictum cui a jure annexa sit infamia, certum est in ducere irregularitatem, juxta cap. *Inter dilectos*, de Excessibus Praelatorum et cap. *Accedens*, de Accusat., et cap. *Accusatum de simonia*; quando vero delicto quod exsilio punitur a jure non est annexa infamia, certum est nullam inducere irregularitatem, nisi aliud obstet: sic enim declaravit ipsa S. C. in una Maceraten., 4 Sept. 1602. Non enim quodcumque crimen causat infamiam, sed debet esse ex illis quae specialiter recensentur in jure, et talia sunt ex communi aestimatione; quia, dato etiam quod crimen esset vere ex illis quae generant infamiam, cum tamen possit non esse notorium in loco ubi exsul degit, ibi non poterit infamiam causare, et sic sacerdos exsul ibi non erit censendus irregularis; sola enim infamia juris annexa delicto, et per sententiam condemnatoriam expressa ad summum illa est quae inducit irregularitatem, non infamia facti: ita communiter doctores apud Covarruviam, in Clement. Si *furiosus*; Garciam de Benef., part. xi, cap. 3; Giballin. de Irregularitat., et Suarez disp. 43, de Censur.

(18. Si vero damnatus ad triremes actu

remigaverit, tunc indistincte, sive delictum irroget infamiam, sive non, talis elicitur irregularis, et solus Papa dispensat, juxta decretum sacrae congreg. S. Officii emanatum anno 1635, tempore Urbani VIII, quo statuitur quod presbyteri tam saeculares quam regulares damnati ad triremes, si actu remiges fuerint, non habilitentur ad exercitium ordinum, quod per extensum refert Nicolius Lucubrat. Canon., lib. v, tit. 12, § 13; et sequitur Monacell. tom. I, tit. 4, form. 9, num. 7, et tom. III, tit. 3, n. 13, cum aliis ibi allegatis.

(19. Qui dat operam rei licitae, et omnem adhibet diligentiam ne sequatur homicidium, si deinde casu fortuito sequatur, non incurrit irregularitatem: sac. congr. Conc. 1 Octob. 1588, et desumitur ex cap. *Dilectus* 13, cap. *Litteris* 15, et cap. *Quidam* 25, de Homicidio; Barbosa in Sum. Apostol. decis. verb. *Irregularitas*, num. 1, cum aliis ibi citatis; Pæsecius, de Irregularitate, cas. 6, ibi, insuper addit quod declaratum fuit concilium Trid. sess. 14, cap. 7, de Reform., loqui de eo qui fuisset in aliqua culpa, et indigeret dispensatione, ut in Hispanen. eodem anno 1588; in Aversana 13 Novembr. 1627; in Praenestina 7 Sept. 1630. (20. Ob homicidium autem casuale commissum a parochio rescripsit eadem sac. congr. Conc.: « Pro gratia, dummodo non celebret in loco commissi delicti, et per viginti milliarum circumcirca: » sic in Aquilana, 1 Apr. 1713, et in die 12 Maii 1714, in eadem rescripsit: « Pro gratia, ut possit celebrare in loco commissi delicti. » Ita apud Ursayam tom. I, part. II, discept. 6, ubi varias alias refert consimiles resolutiones. (21. Et ob offensionem et percussione factam mediante instrumento non apto ad occidendum, ead. S. congr. Conc. in Nuscana 12. Apr. 1710, rescripsit: « Pro gratia, peractis exercitiis spiritualibus per mensem: » apud Ursayam tom. I, part. II, discept. 6.

(22. Irregularitas incurritur ab eo qui leviter percussit lethaliter vulneratum, ita ut ex dictis levibus percussione accelerata fuerit mors vulnerati: sac. congr. Conc. in Caputaquen. 23 Mart. 1725, ubi denegavit etiam gratiam dispensationis: Ursaya in Miscellaneo primo sacro et profano, littera L, sub n. 200. (23. Et irregularem fieri qui projicit cultrum contra aliquem, etiam sine animo offendendi, secuta offensione, tenent Pignatel. tom. X, consul. 110, n. 14; Ursaya l. c., n. 204, et alii passim.

(24. Clericus habita licentia ab ordinario querelandi malefactores in foro laicali citra poenam sanguinis, si querelat, et indicia ac probationes subministrat ad probandum delictum, incurrit irregularitatem, secuta mutilatione querelati delinquentis. Sic declaravit sac. congr. Conc. die 4 Febr. 1651, apud Pignatel. tom. I, consul. 377. (25. Item irregularitatem incurrit clericus pro delicto in personam conjunctam commissio habens licentiam ab ordinario querelandi, si non querelat, sed tantummodo prosequatur accusationem, et subministret indicia in foro

laicali insistendo pro punitioe, secuta mutilatione: ead. sac. congr. Conc. d. d. 4 Febr. 1651; apud Pignatel. loc. c., consul. 578. (26. Non incurreret tamen irregularitatem clericus, si querelaret tantummodo malefactorem cum expressa protestatione quod ad vindictam seu poenam sanguinis nullimode intendit, juxta dicta supra n. 11, § *Quamvis per teatum*, in c. *Perlatis* 2, de Homicidio in 6, ibi allatum.

(27. Irregularis non est pharmacopola rite et fideliter suam exercens professionem: sac. congr. Conc. in S. Marci 5 Jun. 1688; l. viii Decret., fol. 253, apud Ursayam in Miscellaneo 1, litt. I, num. 202, et Pignatel. tom. VIII, consul. 146. (28. Incurreret tamen irregularitatem, sicuti etiam chirurgus et medicus, si ex eorum imperitia et negligentia seu culpa infirmus moreretur seu mutilaretur, ut tradunt Panimoll. dec. 89, adnot. 5, n. 37; Corrad. in Praxi dispens., lib. v, cap. 3, num. 1, et seq.; Antonel. de Juribus Clericor., lib. I, cap. 56, n. 33; Ursaya Inst. Criminal., lib. I, tit. 10, § 4, num. 97; Pignatell. loc. cit., et alii passim. (29. Quoad medicos autem, ut testatur Panimoll. cit. decis. 89, adnot. 5, num. 37, praxis Romanae curiae est ut eos non admittat ad ordines absque dispensatione apostolica, ut pariter esset dicendum de chirurgis. Vide verb. *Medicus*, n. 20, ubi varia ad rem.

(30. Sacerdos celebrans pluries eadem die incurrit irregularitatem: sac. congr. Conc. in Senensi 16 Nov. 1686, apud Pignatell. tom. VII, consul. 43, et in Placentina 11 Jan. 1711; apud Ursayam Institut. Crim. lib. I, tit. 10, § 2, n. 57.

(31. Irregularitas non incurritur a clerico exercente criminale aliquod officium seu iudicaturas, si saevus se non immisceat, et in causis sanguinis iudicium non proferat, ut re mature perpensa, recedendo a resolutione, die 3 Martii 1703, respondit sacra congreg. Conc. in Sancti Severini irregularitatis, 1 Jun. ejusd. anni 1703, lib. LVIII Decret., fol. 413, apud Ursayam Institut. Crim., lib. IV, tit. 8, n. 50.

(32. Neque irregularitatem incurritur personae ecclesiae absque ulla pontificis dispensatione intervenientes tanquam principis consilarii in conditione legum imponentium poenam mortis, vel ipsimet easdem leges condentes, ubi temporalem habent jurisdictionem, quia conditores legum illorumque consilarii per legum conditionem et promulgationem non intendunt homines occidere, sed poenarum timore a malis et delictis illos arcere: sacra Rota part. IX, Recent. Decis. 172, n. 20, et seq. Ursaya l. c. num. 48, cum aliis ibi citatis. (33. Non possunt tamen praelati ecclesiastici (quibus ex Summi Pontificis dispensatione permissum est in certis casibus sententiam sanguinis proferre) executioni sententiae se immiscere, consilium, vel praesentiam praestare eidem executioni absque irregularitatis incurso: c. *Ex litteris* 10 de Excessibus Praelator.; Ursaya loc. cit., num. 42, cum aliis ibi allegatis.

(34. Irregularitas non incurritur ab epi-

scopo, permittendo exhumationem cadaveris, ut fiat *Visum et repertum*. Talis autem recognitio fieri debet extra ecclesiam et locum immunem, aliter a ministris laicis incurritur excommunicatio, ut declaravit sacra congreg. Immunit. in Maceraten., 8 Aug. 1645, in Cremon. 1 April. 1704; apud Ursayam Inst. Crim., lib. I, tit. 4, n. 16; Monacel. tom. I, tit. 6, form. 7, num. 6.

(35. Irregularis non est descendens per rectam lineam a mahumetanis: S. congr. Concil. in Hispanen. 7 Maii 1701; apud Ursayam tom. II, part. II, discept. 22, a n. 25.

(36. Irregularis non fit violans censuras nullas: sac. congr. Conc. in Herbipolen. 19 Jul. 1704, et in Casertana 11 Sept. 1717; apud Ursayam in Miscell. 1, Sac. profan. litt. I, n. 199.

(37. Irregularis non est ministrans in ordine suscepto, postquam appellavit a sententia excommunicationis contra ipsum lata: sac. congr. Conc. in dub. Irreg., 15 Sept. 1625, lib. XII Decret. 329; apud Ursayam loc. cit., n. 203.

(38. Irregularis non est laesus in calcaneo, et licet claudus ambulans sine baculo: S. congr. Conc. in Messanen. 27 Apr. 1686, lib. III Decr., fol. 126; apud Ursayam loc. c., n. 201.

(39. Irregularis est clericus confessus et condemnatus de crimine adulterii: S. congr. Concil. in dubio irregularitatis, 5 Maii 1657, lib. XX Decr., fol. 233; apud Ursayam loc. c., n. 200. (40. Et irregularem esse etiam clericum convictum et condemnatum de crimine stupri sustinet Thesaurus, Majolus, et Amenus, apud Monacell. tom. IV, supplem. ad tom. I, n. 161, qui tamen ibid. cum Garcia, Bonac., Nicol., et aliis, sustinet contrarium.

(41. Irregularitas non incurritur per scriptionem processuum causarum seu querelarum criminalium, neque per exercitium officii gubernatoris absque prolatione sententiae sanguinis seu capitalis: sac. congr. Conc. in Sutrina irregularitatis, 28 Maii 1695, et in S. Severini, 2 Jun. 1703; apud Monacel. tom. IV, supplem. ad tom. II, n. 70.

(42. Irregularitas non incurritur per solam adscriptionem militiae saeculari sine actibus hostilibus: sac. congreg. Conc. in N., 10 Mart. 1674, et in Leodiens., 30 Sept. 1684; apud Monacell. tom. IV, supplem. ad tom. II, n. 71.

(43. Clericus autem qui militiae nomen dedit, et armatus in bello servivit, stipendium accepit, ac expeditionibus militaribus se associavit, fit irregularis, et indiget dispensatione ab irregularitate incurra, licet moraliter certus sit neminem mutilasse, laesisse, aut occidisse: sac. congr. Conc. in Ipren., 13 Januar. 1703. Et ipso jure amittit beneficium etiam si sit juris patronatus: sac. congr. Conc. in Firmana 17 Januar. 1618; apud Monacell. tom. II, tit. 13, formul. 3, n. 33; et consimiliter card. Petra tom. II Commentar. ad const. unic. Greg. VIII, n. 57, in fin.; ubi refert quod in sac. congr. Conc. in una Salisburgensi irregularitatis, exhibitio sup-

plici libello remisso a sac. Pœnitentiaria cujusdam sacerdotis qui se vendidit Hollandis pro servitio maritimo egestate pressus, et proinde arma sumpsit, et in Indiis militiam egit, fuerunt proposita dubia: An orator incurreret irregularitatem, et an cum eo sit dispensandum? Respondit 14 Maii 1689: *Esse dispensandum*, quia dictus sacerdos miscuit se bello injusto, arma, et sæva tractando. Hæc ille.

(44. Mandans aliquem baculo verberari eo expresso ne occidatur, si mandatarius fines mandati excedens percusserit et occiderit, non dicitur irregularis ex homicidio voluntario, adeo ut sit indispensabilis juxta c. 7, sess. 14, quia est solum voluntarium in causa, et non voluntarium directe, et in se, et potest proinde a Sede Apostolica dispensari: sacra congreg. Concil. 2 Novemb. 1581, lib. xxii Decret., pag. 59, et 7 Septemb. 1604, lib. vii Decret., pag. 367 et 339; apud Monacell. tom. II, tit. 13, form. 3, n. 34, in fin. Et quod is incurreret irregularitatem, habetur expresse in c. *Is qui 3*, de Homicid. in 6. Quamvis Barbosa in Summa Decis. Apostol., verb. *Irregularitas*, num. 2, citans decretum sacre congreg. Concil. sub die 2 Sept. 1604, dicat ipsum irregularitatem non incurrere.

(45. Irregularis evadit qui voluntarie se castrari facit, et culpa sua seipsum mutilat: sac. congr. Episc. in Milevitana, 13 Januar. 1694; apud Monacell. tom. II, tit. 3, formul. 3, n. 31, tom. IV, supplem. ad tom. II num. 429. Et dispensatio hujus irregularitatis petenda est a sac. congr., quæ maxima facilitate illam concedit, ut accidit in Æsina, 13 Maii 1702.

(46. Qui abscidit digitum pollicem debet petere dispensationem ad cautelam, quia dubium est an per talem mutilationem irregularitas incurratur, ut bis respondit sac. congr. Conc., nempe 12 Jul. 1687, et 13 Januar. 1688; apud Monacell. tom. IV, supplem. ad tom. III, n. 12.

(47. Clericus qui levi epilepsia semel affectus fuit, et deinde per plures annos amplius dicti morbi signa non dedit, non est irregularis, et promoveri potest: sac. congreg. Concil. in Tudertina, 9 Jul. 1704; apud Monacell. tom. II, tit. 13, formul. 3, num. 36.

(48. Clericus energumenus est irregularis, et licet fuerit liberatus, non potest promoveri sine dispensatione apostolica: sac. congr. Conc., 12 Febr. 1689; apud Monacell. tom. I, tit. 13, formul. 3, n. 32, et in Mediolanen., 2 Decemb. 1724, ad 1 dub., apud Thesaurum resolutionum cong. Conc. dicti anni 1724. (49. Si autem antequam a demone obsideretur erat promotus ad ordines, potest episcopus illorum exercitium permittere suo arbitrio, ut dictum est supra num. 12, de Irregularitatibus ex defectu, per textum in cap. *Communiter 3*, dist. 33, ibi allatum.

(50. Suspensus a suo ordinario extrajudicialiter sine scriptis, si celebrat, non fit irregularis: sac. congr. Conc. in Vercellen., 18 Aug. 1703. (51. Secus autem si fuerit

suspensus juridice: Monacell. tom. IV, supplem. ad tom., III n. 6.

(52. Irregularitas incurritur a clericis ordinatis scienter cum ficto patrimonio vel beneficio, et ordines sic receptos exercentibus: S. cong. Episcop. in Verulana, 6 Jun. 1611, in Adrien., 1 Octobr. 1602, et sac. congr. Conc., 2 Nov. 1610; apud Pignatell. tom. V, consult. 77, n. 16. Vide verb. *Ordo*, art. 2, n. 55.

(53. Clerici sive sæculares sive regulares recurrentes in suis causis ad judices et principes sæculares, si ex eorum recursu sequatur impedimentum jurisdictioni ecclesiasticæ ex quo isti incurrant excommunicationem contentam in Bulla Cœnæ, si post talem recursum exerceant ordinem solemniter vel missam celebrent, evadunt irregulares, prout de regularibus respondit sac. congr. Immun. in Ulisiponen. 6 Nov. 1688; lib. Decr. Martell., pag. 373, et de Clerico sæculari in Alatrina, 29 April. 1704; lib. III, Decr. Vallem. 576; apud Monacell. tom. III, tit. formul. unic., n. 15.

(54. Irregularis non est filius homicidæ presbyteri, unde potest promoveri ad ordines sine dispensatione: sacra congreg. Conc., 2 Aug. 1687; apud Monacell. tom. I, tit. 13, form. 3, n. 34.

(55. Irregularis non est qui armatus cum consanguineis accurrit ad domum consanguineæ ut compelleret fornicarium, si fornicarius e fenestra se projiciens moriatur: sac. congreg. Conc. in Pampilonen., 29 Sept. 1600; apud Monacell. loc. cit., n. 34.

(56. Nec irregularis est qui accedens ad domum mulieris conjugatæ fornicandi causa, si supervenientibus viro et consanguineis, mulier occidatur: sac. congreg. Conc. in Potentina, 18 Martii 1684; apud Monacell. cit. n. 34.

(57. Irregularis non fit judex qui protulit sententiam mortis vel mutilationis, nisi fuerit exsecuta; unde non indiget dispensatione: sac. congreg. Conc. in Cesenaten., 1615; apud Monacell. loc. cit., n. 35.

(58. Item irregularis non est notarius qui compilavit processus criminales, et plures fuerunt condemnati in pœnam mortis, at sententiæ non fuerunt exsecutæ: sac. congreg. Conc. in Spoletana, 14 Decemb. 1630; apud Monacell., cit. num. 55.

(59. Quemdam qui per quatuor annos exercuit prætoriam, et sententias sanguinis protulit, sed non constabat resultasse prædictam pœnam, et dispensari ab irregularitate petebat: sac. congreg. Conc., die 28 Mart. 1676, respondit *dispensandum esse ad cautelam*.

(60. Irregularitatem non incurrit clericus qui judici sæculari petenti librum baptizatorum exhibuit ad effectum recognoscendi ætatem rei inquisiti de delicto quod mortem meretur, et subiturus credatur: sac. congreg. Conc. in Lycien., 10 Decemb. 1661; apud Monacell. loc. cit., n. 36.

(61. Irregularis est qui, inquisitus de homicidio, sustinuit torturam, indicia diluit, et fuit absolutus; quia si de delicto remaneat

fama, non debet promoveri, cum remaneat infamia facti: sac. congr. Concil. in Novarien., 1 Octob. 1661; apud Monacell. loc. cit., n. 37, et apud Pignatell. tom. II, consult. 19. (62. Si autem de homicidio inculpatus, tanquam non repertus culpabilis fuisset absolutus, non esset irregularis: ead. sac. congreg. Concil., 8 Julii 1664; apud Monacell. cit. n. 37.

(63. Irregulares non sunt filii et nepotes hæreticorum quorum patres et patruos constat emendatos esse: sac. congreg. Concil., 26 Sept. 1591; apud Monacell. cit. n. 37. (64. Et irregularem non esse eum qui natus est a parentibus hæreticis, si parentes fidem catholicam amplexi sint, rescripsit ead. sac. congreg. Conc. in Romana, 21 Maii 1718, ad 2 dub., apud Thesaurum Resolutionum sacre congregat. Conc. in Decr. dicti anni. (65. Nec irregularem esse eum qui in infantili ætate baptismum receperit ab hæreticis, respondit ead. sac. congregat. in dicta Romana ad 1 dub., apud dictum Thesaurum, ibidem.

(66. Irregularitatem contraxit qui contra fures clamavit, et isti capti, fuerunt capite damnati: sac. congreg. Conc. in Casalen. Irregularitatis, 24 Septemb. 1718, apud cit. Thesaurum in Decretis dicti anni.

(67. Irregularis est qui causam dedit rixæ ex qua secutum fuit homicidium: sac. congreg. Conc. in Caput aquen., 24 Mart. 1723, ad 2 dubium apud cit. Thesaurum in decretis dicti anni.

(68. Irregularitatis qua laborat sacerdos non valens sacram hostiam et sanguinem sumere nisi auxilio manus sinistrae, dispensatio remissa fuit arbitrio episcopi: sac. congreg. Conc. in Consentina, 13 Jul. 1725; apud cit. Thesaurum in Decretis dicti anni.

(69. Non est irregularis qui percussit gladio vel virga aliquem in oculo, cujus virtutem debilitavit adeo ut lucis radios obscure percipiat: sac. congreg. Conc. in Feretrana, 5 Maii 1705; apud Monacell. t. IV, supplem. ad tom. III, n. 11.

(70. Neophyti, nempe qui ex lege Judaica, Mahumetica, vel ethnica, nuper conversi, quamvis tanquam irregulares non sint promovendi ad ordines ex dictis supra sub num. 12. vers. *Ex defectu animæ*, tamen si baptizati fuissent ab infantia, vel post transactionem notabile tempus a die suscepti baptismi, iudicio et arbitrio episcopi reperiantur in rebus fidei bene instructi et stabiles, cum tunc non dicantur proprie neophyti, cessat irregularitas: cap. *Eam te 7*, de Rescriptis; Pauimoll. dec. 89, adnot. 1, n. 4, cum aliis ibi allegatis, ubi recte ex Bonac., Corrad., et Sayro, subdit quod veri neophyti dispensandi sunt a Summo Pontifice.

(71. Irregulares non sunt filii nati ex matrimonio contracto cum impedimento affinitatis cum mala fide patris et bona fide matris, nam isti sunt legitimi: sac. congreg. Conc. in Tornacen., 24 Maii 1684, lib. xxxi Decret., fol. 400; apud Monacell. tom. II, tit. 13, n. 37.

(72. Irregularitas ex homicidio voluntario non impedit re assumptionem habitus cleri-

calis, et episcopus procedat prout de jure. Sic respondit sac. congr. Immun. in una civitatis ducalis, 10 Mart. 1699; apud Riccium in Synopsi, verb. *Habitus*, n. 1.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(73. Tametsi in cap. 18, de Sentent. Excommun. in 6, disertis verbis statutum sit irregularitatem non incurri nisi *in casibus in jure expressis*, (74. nihilo tamen minus disputare de eo solent theologi, præsertim scholastici, an possit iudex pœna irregularitatis punire reum delicti cui a jure non est adnexa irregularitas. Vide *affirmantes*, tum *negantes* apud Hurtad. de Irregular., disput. 1, difficul. 6, num. 24, qui tamen in *negantium* ivit sententiam, et quidem recte.

(75. Cæterum, quod dicitur non incurri irregularitatem nisi *in casibus in jure expressis*, id intelligi debet de casu quo non constat an delictum vel defectus adnexam habeat irregularitatem. (76. At si constet delictum de quo agitur irregularitatem habere adnexam, dubium vero sit num quis delictum illud patriverit, eo casu propter dubium incursæ irregularitatis tenetur se pro irregulari gerere: Van-Esp. Jur. Eccles. univ., part. II, tit. 10, c. 1, n. 75; Rousseau de la Combe in Jurisprud. Canon., verb. *Irregularitas*, sect. 1, n. 2.

(77. Ne autem in errores incidamus, duo hic necessario sunt monenda. Primum est quod solummodo *in dubio* homicidii incurratur irregularitas; idque quia « cum nulla contrahatur irregularitas (ut recte ait Giballin. de Irregul., c. 4, consec. 3, n. 21, in fine) nisi in casibus in jure expressis, et nullibi jus dicat in dubio facti incurri irregularitatem, præterquam in casu homicidii modo hactenus explicato, certum esse debet nullam aliam irregularitatem quam homicidii in dubio contrahi. »

(78. Alterum est quod in ipso casu homicidii non aliter incurratur irregularitas, quam si ipsum homicidium certum sit, dubiumque solummodo sit de persona committente, ut est casus text. in cap. 12, de Homic., et cap. 5, de Cleric. excomm. administrante. Verum, si de homicidio dubitetur an commissum ipsum sit, minime incurritur irregularitas: Giballin. de Irregularit., cap. 4, consec. 3, num. 17, et plur. sequent.

(79. Dividitur irregularitas, si spectes effectus in totalem, qua quis privatur omnium ordinum usu, qualis est ea quæ ex homicidio nascitur; et partialem, qua usus solummodo admittitur alicujus ordinis, ut evenit in ea quæ proficiscitur a cæcitate, propter quam sacerdos removetur a sacrificio, non item a pœnitentiæ administratione.

(80. At si causas perpendas, dividitur irregularitas in eam quæ oritur ex delicto, et eam quæ oritur ex defectu. Notabile vero est discrimen unam inter et alteram irregularitatem. (81. Irregularitas enim quæ nascitur ex defectu incurritur licet defectus ille sine ulla culpa patientis evenierit. (82. At irregularitas quæ nascitur ex delicto non aliter incurritur quam si delictum illud

imputari queat ei qui illud commisit. Confer Hurtad. de Irregularit. disput., difficul. 3, num. 27.

(83. Habet utraque irregularitas varias sub se species. Singulas pro dignitate explicare haud est mei instituti. De iis secundum Ecclesiae disciplinam, tum antiquam, tum novam, optime prae aliis disserunt Van-Espen, Juris Eccles. univ. part. II, tit. 10, per tot.; Rousseau de la Combe in Jurisprud. Canon., verb. *Irregularitas*, pariter per tot.

(84. Hic vero haud est omittendum, auctorem nostrum saepe in hoc articulo irregulares eos pronuntiare quos sacri canones irregulares non declararunt, sed tantummodo minime decet ad ordines promovere. Tales sunt plures ex iis de quibus verba facit n. 12, et praesertim art. octavo, ut patet ex iis quae habet Giballin. de Irregularit., cap. 5, quæst. 4, proposit. 3, ibi: « Deinde aliquando contrahitur infamia sine ullo peccato proprio aut alieno, ut propter vilis alicujus artis exercitium, aut matrimonium cum meretrice aut scenica, ex qua tamen infamia nulla contrahitur irregularitas, nisi peculiari jure sit expressa, sed fortassis aliqua prohibitio ordinandi viles hujusmodi personas quandiu eas artes exerceant. »

(85. Patet hinc quod personae illae viles, quas auctor irregulares pronuntiat, ut ad ordines promoveantur dispensatione haud indigent.

Responsio auctoris.

(86. Additor ait auctorem nostrum in hoc articulo irregulares eos pronuntiare quos sacri canones irregulares non declararunt, sed tantummodo minime decet ad ordines promovere; et tales sunt plures ex iis de quibus verba facit num. 12, et praesertim artic. 8. Patet hinc quod personae illae viles quas auctor irregulares pronuntiat, dispensatione haud indigent. Et tamen ego loc. cit. pro eorum infamia et irregularitate adduco nedum sacros canones, sed et leges civiles, ut ibi videri potest: quae jura tum canonica tum civilia adducunt alii plures et signanter sapientissimus Gregorius Rossignolus cap. 1, de Ordinibus in communi, quæst. 3, art. 12, num. 5, qui ibidem sub num. 24 subjungit quod infamia ex arte vili non tollitur nisi per Romanum Pontificem. Et ratio est quia quae sunt juris positivi communis non cadunt nisi sub potestate pontificis vel principis, secundum quod jus est canonicum vel civile. Cum igitur infamia quae consurgit ex utroque allegato capite sit juris canonici communis, ut habetur ex cap. *Admittuntur*, dist. 54, et glos. in cap. *Nihil*, verb. *Suspendatur*, de Elect. et ex Clementina 1, de Institut., et ex c. *In capite Quadragesimae*, dist. 50, et cap. *Ex penitentibus*, eadem distinct., sequitur quod impedimentum ad ordines quod ex eodem consurgit non possit nisi per Romanum Pontificem auferri. Quod et replicat in disput. 3, de Irregularit., quæst. 5, cap. 8, num. 20, dicens: « Huc etiam venit difficultas, a quo possit dispensari irregularitas proveniens ex

exercitio artis ignominiosae, quae etiam potest reduci ad infamiam. Respondendum non posse dispensari nisi a Romano Pontifice vel ab habente ab ipso facultatem; adeoque dictae personae viles indigent dispensatione. »

ARTICULUS II.

Irregularitas quoad ejus effectus.

SUMMARIUM.

1. Irregularitatis effectus sunt specialiter tres, et assignatur primus. — 2. Qui stante irregularitate recipit sacramenta, quamvis peccet mortaliter, valide tamen recipit, et sic recipiens solum privatur usu. — 3. Assignatur secundus effectus irregularitatis. — 4. Irregulares possunt licite recipere omnia alia sacramenta, excepto ordine, et sic absolvi a peccatis in sacramento poenitentiae. — 5. Irregulares possunt etiam licite exercere quoscunque actus sacros qui non sunt ordinum. — 6. Assignatur tertius effectus irregularitatis. — 7. Irregularitas, quamvis inhabilitet ad beneficia obtinenda, non inhabilitat tamen ad beneficia antea canonice obtenta retinenda. — 8. 11. Additiones ex aliena manu.

(1. Irregularitatis effectus sunt specialiter tres. Primus est inhabilitas seu impedimentum ad licite primam tonsuram et ordines suscipiendos: cap. *Curandum* vi, dist. 34, et cap. *Ultimo*, de Tempor. Ordinatio. (2. Unde si stante irregularitate recipiantur sacramenta, peccatur quidem mortaliter, sed valide recipiuntur, et recipiens solum privatur usu, ut tenet Suarez disp. 40, sect. 1, n. 2; Sayr. de Censur., lib. 6, cap. 1, num. 25, et est communis theologorum et canonistarum opinio. (3. Secundus effectus est inhabilitas seu impedimentum ad exercendum quoscunque ordines, si sit totalis vel aliquem tantum, si sit partialis: cap. final. de tempor. Ordinatio., cap. *Ad audientiam*, de Homicidio; et si durante irregularitate ordines administrantur, valide administrantur, sed graviter peccatur ab irregulari, ut tenet Innocentius in cap. *Si celebres*, de Clerico excomm. ministrante, num. 3; Cardinalis in Clement. unic. de Homicidio, et alii communiter. (4. Possunt tamen irregulares recipere licite omnia alia sacramenta, excepto ordine, et sic absolvi a peccatis in sacramento poenitentiae, quia irregularitas non habet oppositionem cum absolute peccatis et cum aliis sacramentis ab ordine, cum solum privet susceptionem ordinum et exercitio ipsorum, non autem receptionem sacramentorum: Sic Innocentius in cap. *Nisi cum pridem*, § *Personae*, de Renunt., n. 8; Cardinalis in Clement. *Dudum*, § *Ac deinde*, qu. 8, de Sepult., et communiter summistae in verb. *Irregularitas*, et canonistae in cap. *ultimo*, de Tempor. Ordinatione. (5. Possunt etiam irregulares licite exercere quoscunque actus sacros qui non sunt ordinum, ut missae privatae ad modum laici deservire, baptismum sine solemnitate et privatim, officium divinum recitare, conciones habere, imo etiam in choro licite canere et psallere ad modum laici, ut tenet Covarruvias in Clementina *Dudum*, part. 1, § 1; Suarez. disp. 40, sect.

2, num. 11, et alii communiter. (6. Tertius effectus est inhabilitas seu impedimentum ad beneficia recipienda: cap. *Dudum* 12, de Electione; cap. final. de Clerico. duell. Cum enim beneficium detur propter officium, cap. final. de Rescript. in 6, et irregularis officii divini capax non sit quatenus illud nequit exercere, sequitur evidenter ipsum beneficium obtinere non posse: arg. cap. final. de Clerico. excommunic. ministr. (7. Quamvis autem irregularitas inhabilitet ad beneficia obtinenda, non inhabilitat tamen ad beneficia antea canonice obtenta retinenda: nullibi enim reperitur in jure quod per irregularitatem ipso facto inducatur privatio beneficiorum antea canonice obtentorum, imo potius deducitur quod non sequatur, nisi per judicis sententiam, ut colligitur ex cap. *Ex litteris*, de Excessibus Praelatorum.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(8. Irregularitas beneficiis jam obtentis regulariter haud privat; inhabilem vero reddit irregularem ad alia obtinenda; difficile vero haud est rationem reddere, cur Irregularitas Beneficiis jam obtentis haud privet. (9. Id ex eo provenit, quod juxta novam Ecclesiae disciplinam Beneficia, et Ordines, eorumque functiones sint plane disparatae, neque Ordo supponit Beneficium, ipsumque Beneficium sine Ordinum usu haberi, et retineri valet: Van-Espen Jur. Eccles. univers. part. II, tit. 10, cap. 1; Rousseau de la Combe in Jurisprudencia Canonica verb. *Irregularitas* sect. 1.

(10. Dixi *regulariter*, nam irregularitas ex homicidio per assassinos perpetrato, privat etiam beneficiis jam obtentis: cap. 1, de Homicid. in 6.

(11. De collatione vero beneficii irregulari facta, utrum irrita ipso jure sit, an potius irritanda, non conveniunt inter se doctores. Confer Hurtad. de Irregularit., disput. 1, difficul. 5, num. 20, et seq. (12. Sacrum Tribunal Rotae, collationem illam irritam esse ipso jure tenet, ita ut possit Beneficium alteri conferri; Vide ejus decisiones in Turritana Canoniciatus 10 Decembris 1723, et 19 Junii 1724, coram bon. mem. Ratto, inter impress. decis. 104, ubi de Irregularitate ex homicidio late disseritur.

ARTICULUS III.

Irregularitas quoad ejus dissolutionem et dispensationem.

SUMMARIUM.

1. Irregularitas dissolvitur vel tollitur quatuor modis; et assignatur primus modus. — 2. Assignatur secundus modus. — 3. Assignatur tertius modus. — 4. Assignatur quartus modus. — 5. Papa potest dispensare in omnibus irregularitatibus, sive ex delicto, sive ex defectu provenientibus. — 6. Archiepiscopi in actu visitationis et in causis appellationis possunt dispensare in irregularitate occulta subditos suorum suffraganeorum. — 7. Episcopi dispensare possunt cum suis subditis et in sua dioecesi in omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, excepta ea quae oritur ex homicidio in justo et ex animo patrato, et aliis deductis ad forum contentiosum. — 8. Hinc possunt dispensare in irregu-

laritate ex homicidio occulto patrato causa defensionis, non servato moderamine inculpatae tutelae. — 9. Possunt etiam dispensare in irregularitate orta ex mutilatione occulta, licet voluntaria. — 10. Probabilius non possunt dispensare in irregularitate contracta ex haeresi occulta. — 11. Circa irregularitates provenientes ex defectu possunt episcopi dispensare etiam quoad ascensum ad sacros ordines in sola irregularitate proveniente ex bigamia similitudinaria. — 12. In irregularitate autem orta ex bigamia vera et interpretativa non possunt. — 13. Capitulum, sede vacante, probabilius eandem habet potestatem dispensandi et absolventi concessam episcopis a concilio Tridentino. — 14. Praetati inferiores episcopis jurisdictionem quasi episcopalem habentes, quamvis habeant proprium territorium et subditos non gaudeant praedicta facultate dispensandi et absolventi concessa episcopis a concilio Tridentino. — 15. Imo ex Pignatello referente declarationem Gregorii XIII, ne quidem possunt vi hujus facultatis Tridentini dispensare cardinales in ecclesiis sui tituli. — 16. Praescindendo autem ab illis facultatibus hic a concilio concessis episcopis, salva remanet plena jurisdictio cardinalium in suis titulis. — 17. Praetati regulares, licet a Tridentino non habeant facultatem dispensandi concessam episcopis, eandem habent in suos subditos per concessionem variorum pontificum. — 18. Refertur amplissimum privilegium concessum praetatis regularibus. — 19. Nec hoc privilegium videtur revocatum per conc. Trident. — 20. Ista tamen tam ampla facultates non sunt de facili deducendae ad praxim. Imo juxta varios graves doctores nequeunt praetati regulares dispensare cum suis subditis furiosis, epilepticis, lunaticis, energumenis, enormiter leprosis, et aliis, qui enumerantur. — 21. 24. Datur formula quae potest inservire pro dispensando in irregularitate. — 25. 27. Additiones ex aliena manu.

(1. Irregularitas dissolvitur et tollitur quatuor modis. Primo, per cessationem vel ablationem causae, qui modus intervenit in irregularitate ex defectu; cessante enim defectu corporis vel defectu aetatis, tollitur irregularitas: argum. cap. ultimo, de Temporibus Ordinatione., cap. *Neophytus*, dist. 61., et in obligato ad publica ratiocinia statim ac ab ipso sunt reddita rationes, cessat irregularitas, arg. cap. *Unico*, de obligatis ad ratiocinia. (2. Secundo per baptismum, et per hunc tolluntur irregularitates ex delicto, uti homicidii, mutilationis, etc.: arg. cap. *Si quis viduam*, dist. 50. Non tamen tollitur per baptismum irregularitas orta ex bigamia, ut inter alios tenet div. Ambrosius lib. III, epist. 25; divus Augustinus lib. de Bono Conjug., cap. 18, et expresse habetur in cap. *Acutius*, dist. 36. (3. Tertio per professionem religiosam; per hanc enim tollitur irregularitas orta ex defectu natalium quoad ordines suscipiendos, non tamen quoad dignitates et praelaturas, ut expresse habetur cap. 1, de Filiis Presbyterorum. (4. Quarto, per dispensationem, et per hanc Papa potest tollere quascunque irregularitates, sive ex delicto, sive ex defectu provenientes; (5. Papa enim potest dispensare in omni jure ecclesiastico: Clement. *Ne Romani*, de Electione, cap. *Sunt quidam* 6, caus. 25, q. 1, cap. *Proposuit* 4, de Concess. Praeb. (6. Archiepiscopi in actu visitationis et in causis appellationis, virtute concilii mox citandi, possunt dispensare in irregularitate occulta subditos suorum suffraganeorum: tunc